



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sacrosancti Et Oecumenici Concilii Tridentini, Pavlo III.  
Ivlio III. Et Pio IV. Pont. Max. celebrati, Canones Et  
Decreta**

**Tridentinum <1545-1563, Trient>**

**Coloniae, 1615**

Confirmatio Concilij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42415**

## CONFIRMATIO CONCILII.

**N**os Alexander, sancti Laurentij in  
Damaso Diaconus Cardinalis, de Far-  
nesio, S. R. E. Vicecancellarius, fidei  
facimus, & attestamus, qualiter hodie, die  
Mercurij, 26. Ianuar. M. D. LXIV. Pontifi-  
catus Sanctissimi D. nostri D. Pij, diuina prou-  
dextia Pape Quarti, anno 5. in Consistorio se-  
creto, apud S. Petrum, Reuerendiss. DD. mei,  
Cardinalis Moronus, & Simoneta, nuper re-  
uersi à sacro Concilio Tridentino, cui uti Sedis  
Apostolice Legati præerant, petierunt ab eodē  
Sanctiss. D. nostro ut infra.

Beatissime Pater, in decreto super fine Con-  
cilij Oecumenici Tridentini, pridie nonas De-  
cembris præteriti publicato, statutum fuit, ut  
per Sanctitatis vestre, & sanctæ Sedis Apo-  
stolice Legatos, & Præsidentes peteretur nomi-  
ne dicti Concilij à Sanctitate vestra confirmatio  
omnium, & singulorum, que tunc sub sel. rec.  
Paulo III. & Iulio III. quam sub Sanctitate  
Vestra in eo decreta & definita sunt. Quapro-  
pter nos Ioannes Cardinalis Moronus, & Lu-  
douicus Cardinalis Simoneta, qui tunc Legati  
& Præsidentes eramus, volentes exequi, quod  
in dicto decreto stabilitum fuit, humiliter peti-  
mus nomine dicti Concilij œcumenici Triden-  
tini, ut Sanctitas vestra dignetur confirmare

omnia

omnia, & singula, qua tam sub fel. rec. Paulo III. & Iulio III. quam sub sanctitate Vestra in eo decreta & definita sunt.

Quibus auditis, Sanctitas sua, viso, & lecto tenore dicti decreti, & habitis votis Reuerendis. DD. meorum Cardinalium, respondit per hec verba:

**PETITIONI**, nomine Concilij œcumenici Tridentini, super eius cōfirmatione per dictos Legatos nobis factæ, annuentes, omnia, & singula, que in dicto Concilio tã sub fel. rec. Paulo III. & Iulio III. prædecessorib<sup>9</sup> nostris quam Pontificatus nostri tempore decreta, & definita sunt, auctoritate Apostolica, etiam de Venerabilium fratrum nostrorum Cardinalium consilio & assensu, matura cum illis deliberatione præhabita, confirmamus, at que ab omnibus Christifidelibus recipi, & inuiolabiliter obseruari mandamus, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

Ita est

A. Cardinalis

Farnesius, Vicecancell.